

*Copaiba.*

**P**Lerique Americani communi nomine omnes Resinas odoratas & Gummi vocant *Copal*, variasque illarum species peculiaribus distinguunt nominibus. Ita & Brasiliensi Arborem hanc resiniferarum facile principem *Copaliba* vel *Copaiba* nominant. In densis nemoribus mediterraneis hæc fatis procerâ reperitur: cui lignum

## COPAIBA.



rubrum quasi minio tinctum, adeoque durum ut ex eo aseres latissimi fiant. Foliis est ovalibus, cum pediculis & nervis crassis postica parte maxime eminentibus. Flore est pentaphyllo rotundo. Fructus instar siliquæ & coloris nigricantis ubi maturuerit, qui facile aperitur, continens nucleum nucis magnitudine & figura, coopertum cuticula nigra, quæ pauca pulpa lutea, lenta, molli, eduli quidem sed non saporosa, ita ut inter fatuos fructus numeretur, ut solet in Arboribus balsamiferis. Simia hæc siliquas depopulari amat. Ego eas mense Maio & Junio collegi, & mox semigerminatas mandavi terræ, atque late provenerunt. Pinguis & odoriferus autem ille liquor adeo celebratus, ab incisio cortice ad medullam usque, Luna plena, tanta quantitate destillat, ut spatium trium horarum, ad duodecim libras olei effundat. Sin nihil forte profuatur, statim vulnus

cera aut argilla obturandum est, ne quid effluere possit, & quibus post hebdomadis cum fenore moram compensasse videbis. Non adeo frequens in Præfectura Parnambucensi hæc Arbor, quam quidem in Insula Maranhon, ubi valde luxuriat, unde quoque copiose illius Balsamum ad nos affertur.

Non autem solum mirifica pollet vi munificandi & consolidandi, & ad quævis vulnera (imprimis nervorum) prima intentione restituenda, morsuque serpentum curandos & cicatrices tollendas: sed & ab omnibus pariter incolis, & à me, interne exhibitum, insignem præbere utilitatem, observatum fuit. Tam suavis tamen odoris, sicut Massæus vuli, non est. Calidum in secundo gradu, crassum, valdeque pingue & resinosum. Ejus salutare vires nunc denuo in circumfusione Iudæi experiuntur: qui sanguinem ex vulnere illo crudeli profluentem feliciter admodum eo coercerent, cum antea vulnus esset curatu difficile, & non paucis exitium intulisset.

Pectori, ad stomachum languidum, ventri ad colicos frigidos cruciatus, illitum conducit. Guttulæ aliquot convenienter exhibitæ per os robur addunt visceribus, il-

lique